

**Badische Landesbibliothek Karlsruhe**

**Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe**

**Historia Zaringo Badensis**

**Schöpflin, Johann Daniel**

**Carolsruhae, 1765**

LXXXIV.

[urn:nbn:de:bsz:31-295118](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-295118)

## LXXXIV.

FRIDERICI II. CHARTA INVESTITURÆ, CUJUS  
TESTIS MARCHIO BADENSIS.

ANNO MCCIX.

**F**redericus secundus, divina favente clementia Romanorum Rex, semper Augustus & Rex Sicilie Regie Celsitudini ad laudem spectat & gloriam, cum fidelium profectibus clemens exponitur, & pie profequitur desideria subjeutorum. Inde est quod notum esse volumus universis imperii fidelibus, tam presentibus quam futuris, Quod nos, attendentes fidem & devocionem, quam Gassus & Jacobus de Locarno fideles nostri erga Majestatem nostram habere noscuntur, de solita gratia et consueta liberalitate nostra concessimus et investivimus eos et agnatos suos pro recto feodo eorum de omni honore, districto et fodris, angariis, parangariis, pregariis, advocatiis Ecclesiarum, piscationibus aquarum, theloneis, et aliis rebus, que ad honorem et jurisdictionem Curie de Scona Tavernula, Cordula, et Menuxio pertinent vel pertinere possent, et eorum Territoriis et circumstantibus locis, tam in personis quam in rebus eorum, Item investivimus eos pro eorum recto feodo de omni honore & districtu, fodris, angariis, parangariis, pregariis, advocaciis ecclesiarum, piscationibus aquarum, theloneis, & aliis rebus, que ad honorem & jurisdictionem et districtum quo ad imperium pertinent, vel pertinere possent in Locarno et in toto plebato, et circumstantibus locis ejusdem. Preterea investivimus eos pro eorum recto feodo, de omni honore, districtu, & de omni eo quod ad honorem &

districtum pertinet vel pertinere possit, in quibuscumque locis prefati Gassus & Jacobus & Agnati eorum de Locarno honorem vel districtum habent vel habere consueverunt, concedentes eisdem, ut quicquid de predictis rebus contra formam alienatum extitit, liceat eis exigere & in feudum retinere, non obstante alienatione contra ordinem facta vel indulta hominibus predictorum locorum, nec aliquibus privilegiis vel rescriptis quondam ab Ottone, seu ab aliquo alio contra hos hactenus impetratis, statuentes & presentes privilegii auctoritate firmiter injungentes, ut nulla omnino persona alta vel humilis, ecclesiastica vel secularis predictos Gassum & Jacobum & eorum agnatos de predictis omnibus ausu temerario impedire aut molestare presumat; quod qui praesumserit, quinquaginta libras auri componat, quarum medietas Camere nostre, altera vero passis injuriam persolvatur. Ut autem hec rata & firma permaneant, prefens privilegium fieri & Majestatis nostre sigillo jussimus communiri. Acta sunt hec Anno Dominice Incarnationis Millesimo ducentesimo nono decime, mense Augusti, Indictione septima, regnante Domino nostro Friderico secundo Dei gratia excellentissimo Romanorum Rege semper Augusto & Rege Sicilie. Anno Domini regni ipsius in Germania septimo, & in Sicilia vicefimo feliciter Amen. Hii testes interfuerunt Abbas Sancti Galli, Abbas Morbacensis, Episcopus Taurinensis, Episcopus Papiensis; Episcop. Cumanus, Episcop. Bergamens. Episcop. Novariens. Wilhelmus Marchio Montisferrati, MARCHIO DE BADEN, Alselmus de Justinch, Marschalcus Raynaldus Dux Spoleti, Riccar. Camere, & alii quam plures. Datum apud Hagenowe per manus Conradi Spirensis & Metensis, Episcopi & Imperialis Aule Cancellarii, anno, mense & Indictione prescriptis.

---